

Johann Cothmann Johannes Sehusius

## **Disputatio Theologica Proponens explicationem Quaestionis Num Fide In Baptismo donentur parvuli, & quaenam illa sit?**

Rostochi[i]: Richelius, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn739730673>

Druck Freier  Zugang



Verf.: J. Schüssler

J. Cothmann.  
R.U. theol. 1634.



D. T. O. M.

Disputatio Theologica

Proponens explicationem *Questionis* :

Num

FIDE IN BAPTISMO

donentur parvuli, & quænam  
illa sit ?

*In celeberrima Academia Rostochiensis,*

PRÆSIDE

JOHANNES COTHMANN

S. S. Theologiæ Licentiato & Professore  
publico.

RESPONDENTE

JOHANNES SEHUSIO *Wostinenſis*  
Megapolitano

publicè proposita in Auditorio magno

22. Mart. horis antemeridianis.



ROSTOCHI,

Litteris hæredum Richelianorum, Anno 1634.

1634

M. T. O. M.

Disputatio Theologica

de ...

Nam

FIDE IN BAPTISMO

honorem parvuli, & parentum

liberis

In celeberrima ...



JOHANNES ...

RESPONDIT

JOHANNES ...

...

...

...

Rostock

...

*Ad Praestantissimum ac Doctissimum*  
Dn. JOHANNEM SEHUSIUM,  
de fide Infantum disputantem.

**F**ervet opus, resonat Doctorum voce Lyceum,  
Fungitur officio quisq; subindè suo.

Musæ Varniades pergunt sua plectra movere,  
Id quod non alijs continuare licet.

Quarè Rostochium migrans studiosa juvenus  
Certatim, studijs invigilare cupit.

Volvunt quam plures sinuosa volumina Baldi,  
Hippocratis multi scripta diserta legunt.

Nonnulli verò, quod tempus postulat ipsum,  
Hæreticos doctâ voce domare parant.

Fortiter impugnant illorum dogmata falsa,  
Ne latè virus serpere tale queat.

In quorum numero cum te quoq; docte SEHUSI  
Jam videam, quid non gratuler hocce tibi?

Sic faciam. Ascendas solidâ cum laude cathedram,  
Et multo redeas dives honore domum.

Hoc pacto via sternatur majoribus âvis  
Ut sacrum possis ritè docere gregem.

JOHANNES NICOLAI Lubec.

**N**ηπάχων πίτιν κη πίτιν ἰχλιν ἐκείνης  
τῶ ἐν βαπτισμῶ, μὴ χευσίπαισι λογισμῶς  
σεσπίητῶ ἐμοὶ μέλωει μὴ Ἀρχιερεῶν  
λάτρεις ἀμαιμακέτοις Διάκτροις, ἄφρονι θυμῶ  
χεάμμασι τῶ πείθων ὁ πάτερ θεὸς ὠπαιο κόσμῶς  
ἀλλὰ θεοῦ ῥήτων βίβλων βαθύκοιλα θεμεθλα  
γραπτά (ἀ τὴν ζωὴν μεθεπει παμμήτορα κόσμῶ,  
πάντα τ' ἀληθείας νοεραῖς ἀκπίσι καθαίρει)  
κη τῆς ΚΟΘΜΑΝΝΟΣ θεοδέγμων ἔγκυ ὁμφῆς

πύ

ταύτην μέλιτι ἐμοὶ ἐρῶας· πολυίδρις ἑταίρῳ  
μῆο Ἰωάννης ἔχει ἐμφρα νῦν, ὅτι μῶλον  
θρασεῖς τραπῆς τέτω ὑπὸ ἡμιμονῆι  
ἀσπῆ· ἄσκη, ὅπως ἀσπῆς, ἀσπῆματῷ ἔσα  
σὲ ππ ἀκαμάτῃ ἐφαιῷ ἀμάραντῷ ἀμοιβῆι  
τὴν ζωὴν ὄψη καὶ ἕως δολιχίῳ ἡδύει  
ἀμφιλαφῆς πολίῃσι κόμην λούκωνετα αἰών.

f.

Georg Giliſh Megapol.

**Π**νεύματῷ ἐξ ἀγίας καὶ ὕδατῷ, ὅσοι καὶ θάλασσα  
παιδία βαπτισμῶ τῆς λειτεροῖσι δέμας,  
πίπν σκῆνα ἔχειν ὄρθην καχυπεδίει θυμῷ  
πέθειδαί τι θεῶ ἀυπφύτοιῳ λόγῳ,  
σκῆνα θεῶ τ' εἶνα καὶ ἔχειν παλιναυξία ζωῆς  
ἀθανάτῃ πμὴν χερσῶς ὁ αὐτῶς ἔφα.  
ἀυπφίῳσι δὲ πλυπλῶντων ἐπέεσσιν ὁμιλῷ  
ἐξ ἀρνῷ γίνετα ῥήματῃ παρὶ θεῶ,  
ἐκ καὶ ἀνομαεῖς καὶ ὑποβρῶ γῆσι λεπάδνοισι  
πίπῃ, ῥεπῆντες, ἀκλινέσσιν, κόρας  
εἰρηφέντις ὁμῶς ῥεπῆντα ἄφρασι λύσση  
όντως πῆσ' ὄειν νήπα τέκνα βροτῶν,  
καὶ πάλιν ἀνθρεῶνα πετῶσι θεήμαχον ἄλλοις  
πίπῃ ὡς δῶαμῶν ταῦτα ἐχῶσι μόνως.  
Τῆτων δυσσεβῶν ὅτι τὴν θανατηφόρον ὄρθην  
νῦν ἀπαμαλδύνεις, ἀξία σ' εἰς τελῆς.  
ἐκ' ἀθῆς βίβλα δεικνύς, βαλεῖδα ἡρέθλης  
ὑδαπ λικτρομῆην ὅσα νοῶσι βρέφῃ,  
σφραγίῳ βίῳ νοεῖν καὶ ταῦτε γαλήνην  
πιστεύειν ὄντως παμμεδέοντι θεῷ  
Ἐν τῷ ἀυπλέγοντας ἐλέγχων ἰδμονι βεβῆ  
ἐμμερῆ καὶ μύθῳ θεῖα φύλαττε σφῶ.  
ἔτως, ὅτι θεῷ κεχαρισμένα ἔργα αἰύσσει  
ἕως ὑψίστης ἀξία ἀθλα θεῶ.

JOACHIMUS Winkspanf Megapol.



Matth. 19. v. 14.

Ἄφες τὰ παιδία καὶ μὴ κωλύετε αὐτοὺς εἰσελθεῖν πρὸς με τῶν  
ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

I.

**M**aximi momenti Quæstionem esse: num  
*Spir. S. Baptismo regenerationis parvulorum medio or-  
dinario, infantibus fidem seu veram in Christum fiduci-  
am largiatur, res ipsa loquitur. Cum enim contin-  
gat sapius in tenellâ ætate infantes hinc abripi, certè  
nisi fide donati, de illorum salute, mœstissimis pa-  
rentibus dubitandum foret. Juxta scripturam sacram enim, sicuti  
infra clarius patebit, soli credentes salvandorum catalogo; increduli  
verò damnandorum classi accensentur. Marc. 16. v. 16. Joh. 3. v. 18.*

II.

Postquam itaq; infantes, caro de carne parentum, perditè  
ab iisdem amentur (juxta Apostolum enim nemo suam ipsius carnem  
unquam odio habuit Eph. 5. v. 29.) meritò, num salutis à parte nostræ  
medium; fidem scil. in Christum habeant, sollicitos esse oportet.

III.

3. Placet igitur Quæstionem hanc: num fide in Baptismo donentur  
parvuli, & quanam illa sit & paucissimis repetere. Ut verò senten-  
tia nostra eò melius proponatur, thesin primò orthodoxam ponimus  
hanc: Infantes qui φῦσὶ καὶ μὴ νόμῳ sunt filii iræ Eph. 2. v. 3. & caro  
de carne nati Joh. 3. v. 6. ac ex immundo concepti semine Joh. 14. v. 4.  
operatione Spiritus S. per baptismi Sacramentum regni propriaq;  
fide donari, qua remissionis peccatorum & vitæ æternæ participes  
reddantur conf. Act. 2. v. 38. c. 22. v. 16. Tit. 3. v. 5. Rom. 6. v. 3. Gal. 3. v. 27.

IV.

4. Assertio hæc, scripturæ conformis à multis, dispari quam-  
vis modo, oppugnatur. Tannerus in Col. Ratibon. Sess. 12. p. 257. inter

A

περὶ



sententiam de fide actuali parvulorum refert. Et subjungit : nemo prudens potest sibi persuadere quod parvuli credant. *Bel- larm. Lib. 1. de Sacram. Baptif. cap. 11.* hanc ponit propositionem : infantes (baptizati) non habent actualem fidem. *Beza in Colloq. Mom- pelg. p. 459.* Quamvis infantes propria fide careant videlicet actuali tamen eos baptizandos esse censemus propter formulam foederis, qua dictum est Abrahæ & posteritati ejus : Ero Deus tuus & Deus semi- nis tui post te. Et sufficit parentum fides. *Petrus Martyr Class. 4. Loc. Commun. cap. 8. p. 648.* infantibus autem quiadhuc per ætatem crede- re non possunt Spir. S. in eorum cordibus fidei vices agit. *Piscat. Vo- lum. 1. disp. Loc. 12. th. 32. pag. 232.* Soli adulti fidei salvificæ capaces sunt. Infantes enim quam rationis usu adhuc destituti sint, ad ver- bum vnde fides nascitur audiendum idonei non sunt. Nec scriptura his uspiam fidem tribuit. Quin & experientia hoc ipsum confirmat, infantes scil. fide præditos non esse. Quis enim in ullo unquam in- fante indicia fidei animadvertit, aut in seipso infante animadvertisse meminit, In eandem abit sententiam *Musculus in Loc. Com. pag. 304.* definitiones fidei in recens natis infantibus, non possunt habere locum donec per ætatem fidei hujus possint esse capaces.

V.

*Calvinus* autem, ut & *Aretius* licet directè fidem infantibus ba- ptizatis non tribuant, ita tamen hac de re loquuntur, ut præfractè id non negent. Ita enim *Calvinus Lib. 4. Instit. cap. 16. §. 19.* Quos ergo pleno lucis suæ fulgore illustraturus est Dominus, cur non iis quoq; in præsens, si ita libuerit, exigua scintilla irradiaret : præsertim si non ante exiit ipsos ignorantia quam eripit ex carnis ergastulo ? Non quod eadem esse fide præditos temerè affirmare velim, quam in nobis experimur, aut omnino habere notitiam fidei similem (quod in suspenso relinquere malo) &c. *Aretius Loc. 70. p. 245.* contra Ana- baptistas ait : Sed & illud præsumptuosè facit quòd infantibus planè fidem negat. Notum est à multis eis fidem tribui. Et *Augustinus* non dubitat eam illis tribuere. Sed esto fidem non habeant, habent tamen eam parentes & sunt ipsi sancti & pertinent ad Ecclesiam, ha- bent

bent Spiritum sanctum, nostrum est bene de illis sperare. Et infantes suo modo fideles dici possunt. &c.

VI.

Ex quibus videre est, illos à sententia nostra Thesi 3. proposita non planè esse alienos. Ut verò assertionem nostram firmis rationibus demonstremus, sequentia bene notanda veniunt fundamenta.

1. Quicquid scriptura sacra unicum rerum credendarum fundamentum  $\Delta\lambda\alpha\pi\pi\acute{\eta}\delta\eta\nu$  asserit, id à nobis non est negandum. Parvulos credere seu fidem habere scriptura sacra unicum rerum credendarum fundamentum  $\Delta\lambda\alpha\pi\pi\acute{\eta}\delta\eta\nu$  asserit, *Matth. 18. v. 6.* Ergò id à nobis non est negandum. *Bellarmin.* loco supra citato, nodum hunc Gordium dissecturus, negat per pusillos infantes intelligendos esse, sed potius pueros grandiores. Nam vocavit inquit eos Dominus ad se: & scandalizari posse dixit, at venire suis pedibus & scandali capacem esse infantibus non convenit. In eandem sententiam abijt *Piscat. in Not. ad Nov. Testam. pag. 195.*

VII.

At si *Bellarmin.* sui ipsius non fuisset immemor, sine dubio verborum *cap. 8.* ejusdem libri meminisset, quando contra Anabaptistas disputans inquit *pag. 110.* Nam cum Dominus ait: finite parvulos ad me venire: ad literam & historicè de *verè loquitur parvulis.* Quare etiam illa ratio: talium est regnum coelorum, debet convenire *verè parvulis.* Et praterea ille. complexus & benedictio *verè parvulis* data. Et mox paragrapho sequente subjungit: Nam verba Evangelistarum parvulos & *infantes* significant *Matth. & Mar.* habent  $\pi\alpha\iota\delta\epsilon\alpha$  id est parvulos. Lucas habet  $\beta\epsilon\beta\epsilon\phi\eta$  id est infantes. Et ibidem Lucas dicit eos portatos fuisse non suis pedibus venisse  $\omega\sigma\tau\acute{\epsilon}\phi\epsilon\sigma\upsilon\nu\ \delta\epsilon\ \alpha\upsilon\tau\acute{\omega}\ \kappa\alpha\iota\ \tau\acute{\alpha}\ \beta\epsilon\beta\epsilon\phi\eta$  afferebant autem & ad ipsum infantes. Igitur illa vox venire accipitur largo modo pro eo quod est accedere & appropinquare. Hæc *Bellarmin.* unde patet Cardinalem propriò se jugulare gladio, dum modo affirmat *cap. 11.* pueros grandiores tantum intelligendos, modo idem *cap. 8.* negat.

VIII.

Quod ergò primam *Bellarmini* rationem artinet: illi intelliguntur qui-

eur qui suis pedibus venire possunt. Ergò non infantes. Respon. ex  
*Bellarmin. cap. 8.* venire largo modo accipiendum esse pro eo quod est ac-  
 cedere & appropinquare. Ut verò responsio hæc Bellarminiana eò  
 magis pateat, notandum est illos quoque in scriptura dici venire &  
 advocari qui non immediatè per se, sed mediatè per alios veniunt,  
 & adducuntur. Idq; dupliciter 1. vel manu ductione ut *Matth. 21.*  
*vers. 14. conf. Mar. 8. v. 22. Luc. 18. vers. 40. Act. 13. v. 11. vel 2. in*  
*ulnis gestatione.* Unde *Matth. 19. vers. 13.* extat passivum  $\pi\epsilon\sigma\sigma\omicron\nu\epsilon\chi\theta\eta$   
 oblati sunt, scil. per adportantes. Et de illis dicitur:  $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\alpha\lambda\iota\sigma\iota\mu\epsilon\nu$   
*Mar. 9. v. 36. cap. 10. v. 16.* quod de grandioribus affirmari nequid. Hinc  
*Junius in Not. Bill. ad cap. 18.* Lucæ inquit: ex vulgata loquendi con-  
 suetudine dicitur puerulum ad se vocare, qui nutricem accersit quæ in-  
 fantem adferat. Et pergit: si adferebantur teneri itaq; adhuc erant,  
 quod amplius confirmatur ex eo quod infantes essent: illud autem ob-  
 servandum ob hostes pædobaptismi. Hæc Jun. Beza in hunc locum  
*Luc. 18. v. 15.* ferme eadem habet.

I X.

Quam sententiam confirmat insuper vocula  $\tau\alpha\ \beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  *Luc. 18.*  
*v. 15.* illa enim absolutè posita in scriptura vel notat tenerrimos infan-  
 tes à matris uberibus adhuc pendentes ut *Luc. 2. v. 12. Act. 7. v. 19. 1. Pet.*  
*2. v. 2.* vel embryonem in utero materno ad huc existentem *Luc. 1. v. 44.*  
 Unde Pastor in Lexico suo vocem  $\beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  deducit inde quod sit  $\tau\omicron\ \acute{\alpha}\rho\tau\eta$   
 $\pi\epsilon\pi\omicron\nu\omicron\varsigma\ \pi\alpha\iota\delta\iota\omicron\nu\ \kappa\alpha\iota\ \tau\epsilon\phi\omicron\mu\epsilon\nu\ \tau\omicron\ \tau\eta\theta\upsilon\varsigma.$  Et  $\beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  dici pro  
 $\tau\epsilon\phi\omicron$  mutato  $\tau.$  in  $\beta.$  *Piscator in Not. ad Nov. Testam.* excipit vocem  
 $\beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  usurpari quoq; de puero doctrinæ capaci, *2. Tim. 3. v. 15.* At  
 longè aliud est  $\delta\iota\omicron\ \beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta\varsigma$  aliquid scire. Et aliud  $\tau\eta\ \beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  voce  
 absolutè posita doctrinam capere, prius notat Timotheum à teneris  
 Unguiculis quam primum fari cœpit sacras literas à piis suis parenti-  
 bus *2. Tim. 1. v. 5. conf. 1. Reg. 18. v. 12.* doctum esse Atq; sic infantia  
 quidem connotatür, sed non immediatè exprimitur. Quando verò  
 vox  $\tau\omicron\ \beta\epsilon\acute{\epsilon}\phi\eta$  absolutè ponitur semper infantem quàm talem designat.  
 Et tantum de prima Bellarm. ratione dictum sit.

X.

Secundò, Bellarm. infert: pueri qui credere dicuntur possunt  
scanda-

scandalizari. Illud verò infantibus non convenit. Resp. I. Quamvis duorum trium aut quatuor annorum intelligantur pueri, nullum tamen inter illos & in cunis jacentem infantem ratione spiritualis huius discretionis in intellectu, si cum adultis conferantur, discrimen esse affirmamus cum *Dn. D. Jacobo Andrea. ex colloq. Mompel. pag. 460. 493.*  
2. Scopus Christi satis indicat quod non agat de pueris grandioribus, qui postquam malitia, mutavit intellectum *Sap. 4. v. 11.* solent bipedum esse nequissimi. Quomodo itaq; illis juberemur esse similes? verè ergo dicit *Chrysof.* in hunc locum *pag. 147.* parvulum autem ætate & quidem mea sententia valde parvulum qui ab omnibus esset passionibus liber in medio statuit. Illa enim ætas omni arrogantia omni gloriæ inanis furore, omni livoris insaniam, omni contentionis cupiditate, ceterisque hujusmodi immunis est. Cumq; præcipuis muniatur virtutibus, simplicitatis scilicet & humilitatis, de nulla istarum superbit. *Hæc Chrysof.*  
3. Si quis autem morosè, de illis sermonem esse qui scandali capaces sint, urgeat? Respondeo quadrimulos imò trimulos & bimulos offendi posse experientia quotidiana ad oculum demonstrat, pusilli enim turpe aliquod verbum audientes, aures arrigunt illudq; repetunt, & hoc pacto deteriores redduntur. Si itaq; Deus in illis rationis usû pleno destitutus, fidem operatur: cur non idem de infantibus recens natis & baptizatis affirmari posset?

#### XI.

Quamvis autem ipsi infantes quâ tales non semper actu ipso offendantur, distinguendum tamen scandalum actuale à potentiali. Jehovæ enim qui cordis abditos recessus palam intuetur *1. Sam. 16. v. 7.* id pro scandalo reputat, unde aliquis offendi potest, quamvis actualis scandalizatio non subsequatur, vide *Matth. 16. v. 13.* & conf. *Gen. 39. v. 7. 2. Maccab. 6. v. 21. Act. 5. v. 28.* Deus enim intentionem & propositum operandis magis, quam eventum actionis attendit *Heb. 11. vers. 17.* conf. *Disp. Dn. D. Affel. de Fid. Infant. thes. 9.* Atq; hæc de primo sententiæ nostræ argumento dicta sufficient.

#### XII.

2. Quorum est regnum Cœlorum illi habent fidem, infantum Baptizatorum est regnum cœlorum. Ergo habent fidem. Major

A 3

verita-

veritatis est indubitatae ex *Joh. 3. v. 15. 18. 36. cap. 6. v. 40. c. 20. v. 21. 1. Joh. 5. v. 13. & passim.* Minor ex *Matth. 19. v. 14. Mar. 10. v. 14.* evidens est, & de infantibus electis à Piscatore conceditur *Tom. 1. disp. Loc. 12. Thes. 33. & in Not. & Nov. Test. p. 196.* Unde *Calvinus ait lib. 4. Instit. cap. 15. §. 19* quum eorum nonnulli quos prima statim infantia hinc mors abripit in vitam æternam transeant &c. Et *Bellar. inquit cap. 11.* infantes per Baptismum justificari & salvari. Hinc conclusio: ergò infantes habent fidem: legitima consequentia infertur.

### XIII.

Verum *Piscat.* locis allegatis consequentiam hanc extremè negat ajens: infantium potest esse regnum cœlorum, etiamsi non credant: dummodo sint electi. Fides enim in scriptura nusquam requiritur nisi ab adultis. Item: nec tamen infantes electi idcirco excluduntur è regno cœlorum: sed hæ illis tribuitur vi promissionis divinæ. Resp. inauditum planè esse in schola Spir. S. quenquam sine fide, id est, fiducia in Christum salvari posse. *Act. 4. v. 12. Joh. 10. v. 9. c. 14. v. 6.* Et videat *Piscator* quam longe assertione hac à castris absit Photini? promissionem divinam si urserit, sciat illam non esse absolutam sed à parte nostra fidem includere conf. *Rom. 4. v. 16. Gal. 3. v. 9. 18.* sive esse ordinatam *Joh. 8. v. 31. 2. Cor. 5. v. 3. Col. 1. v. 23. Heb. 3. v. 6.* Quando itaque concedis, vi promissionis divinæ infantes salvari, concedat simul necessum est fide eosdem salvari. Tota enim scriptura teste, fides à parte nostra unicum salutis apprehendendæ est medium. *Joh. 5. v. 24. 1. Pet. 1. v. 9.* Quod adeo verum est ut *Bellar.* id negare non ausit, sed apertè potius profiteatur propositione tertia *cap. 11.* hisce verbis scriptura confirmat fidem esse medium ad salutem necessarium.

### XIV.

Nec adulti solum quod *Piscat.* excipit in resp. ad dictata *Hoffmanni p. 48.* fide salvantur sed & infantes. Quia 1. unus non geminus justificationis modus. *Act. 15. v. 11.* quem tota scriptura non à parte nostra alium nisi fidem constituit *Rom. 4. v. 3. Gal. 2. v. 16. Eph. 2. v. 8.* Et sicuti est unus Dominus una fides unum Baptisma *Eph. 4. v. 5.* ita quoq; una salutis acquirendæ ratio. Unde *Jun. in cap. 3. ad Ephes. v. 10.* rectè ait: unica semper Deo fuit ratio homines salvandi. 2. Quicumq; salvantur

vantur iustitia Christi imputativa illos fide præditos esse oportet. Infantes salvantur iustitia Christi imputativa. Ergo fide præditos esse oportet. Major certissima vel ipso Piscatore teste in 2. Cor. 5. v. ult. ubi ita inquit: vicissim nos efficiamur iustitia Dei in Christo, quatenus nobis à Deo iustitia imputatur, nosq; pro justis habemur propter imputatam illam Christi obedientiam. Coeterum illa imputatio fit per fidem. Minor itidem ex scriptura probari potest, siquidem extra Christum fide apprehensum nulla salus Joh. 17. v. 3. Act. 4. v. 12. Qui enim filium non habet nec vitam habet. 1. Joh. 5. v. 11. 12. promissio enim vitæ & salus æterna est in solo Christo 2. Tim. 1. v. 1. cap. 2. v. 10.

#### X V.

Quicumq; ergo per Christum salutis æternæ fit particeps ille credit. At infantes per Christum salutis æternæ fiunt participes. Ergo credunt. Major in fallibilis veritatis est, nam fides seu fiducia in Christum est ὁρῶντες ἀληθείαν & manus, qua beneficia morte Christi parta apprehendimus nobisq; appropriamus conf. Joh. 1. v. 12. Col. 2. v. 6. Unde Ursin. in Commonefact. Chytrai p. 1315. ait: Christus in omnibus sacramentis non nisi per fidem potest accipi. Et pag. 1523. contra Marbachium ita inquit: fidem illud esse medium, quo homo fidelis Christum ejusq; meritum sibi applicat ad salutem. Et pag. 1580. contra D. Lucam Bacmeisterum asserit: Tamen fides est instrumentum necessarium ad accipiendum res promissas. Fidei autem proprius actus est acceptio donorum Dei. Minor Thes. 14. probata est. Hinc de conclusione dubitari nequit.

#### X VI.

3. Specialiter Deo placens habet fidem Hebr. 11. vers. 12. conf. Matth. 3. v. ult. Luc. 2. v. 14. parvuli circumcisi & Baptizati specialiter Deo placent: quia Christus illos excepit ulnis ac impositis manibus eis benedixit, id est interprete Piscat. bene precatus est eis, bona à Deo illis exoptavit. Mar. 10. v. 16. Ergò habent fidem.

#### X VII.

4. Quicumq; sanctificantur & regenerantur per Spiritum sanctum illi fide donati. At infantes Baptizati sanctificantur & regenerantur

ratur per Spiritum sanctum. Ergo fide donati. Major certissim<sup>us</sup> est. Sanctificamur enim per Christum. 1. Cor. 1. v. 2. in Christo Phil. 1. v. 2. & per fidem Act. 26. v. 18. qua corda nostra purificantur Act. 15. v. 9. Regeneratio quoq; per Spiritum sanctum, sine fide fieri nequit. Ut patet ex Job. 3. v. 3. collato cum v. 15. 16. 18. Minor est ipsius *Ursin.* de Infantium. Baptismo pag. 1687. infantes regeneratur Spir. S. & pag. 1694. Infantibus ad Baptismum sufficere asserimus, sanctificationem & regenerationem per Spiritum sanctum. Et in *Explicat. Catech. pag. 257.* ad baptismum (infantum) satis est, regeneratio per Spiritum sanctum. Cum itaque sanctificatio & regeneratio Spir. S. virtute in infantibus producat fide eosdem præditos esse decet. Cum hac dona à se invicem divelli nequeant.

### XVIII.

5. Quibus sacramentum Baptismi prodest, illi habent fidem. At infantibus sacramentum Baptismi prodest. Ergo habent fidem. Major ex *Ursino, Calvino, Martino*, aliisque probari potest. Ita enim *Ursin.* contra *Luc. Bacmeist.* p. 1580. Sacramenta esse otiosam ceremoniam & inane spectaculum acceptum sine fide. Et contra *Selneccerum* pag. 858. arguit regulam, quod extra usum à Deo institutum, nihil habeat rationem sacramenti. *Calvin. lib. 4. Instit. cap. 14. §. 14.* Quid verò est sacramentum citra fidem sumptum, nisi centissimum Ecclesiæ exitium & cap. 15. §. 15. Coeterum ex hoc sacramento (Baptismi) quemadmodum ex aliis omnibus nihil assequimur, nisi quantum fide accipimus. Si fides desit erit in testimonium ingratitude nostræ &c. *Martinus Tractat. 2. de Fed. Grat. pag. 58.* Hæ autem actiones (sacramentales) legitime non sunt si fides absit.

### XIX.

Si quis cum *Beza ex Colloq. Rati. p. 459.* parentum fidem hic sufficere arbitretur illi Respondet *Zanchius lib. primo. de cultu Dei eterno p. 440.* Sed addo hos (infantes) etiam spiritu fidei & respicientiæ donari oportere si interno Baptismo baptizandi sunt, & remissionem peccatorum consequi debeant. Quod verissimum est, justus enim sua fide vivet *Hab. 2. v. 4.* Et quemadmodum aliena incredulitas salutis meæ per se non nocet, ita quoque, aliena fides salutis æternæ organum

num non est. Requiritur namq; specialis seu individualis meriti Christi in salvando homine applicatio, adeò ut quis cum Paulo ex Epist. ad Gal. 2. v. 20. dicere queat: vivit in me Christus, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Item 2. Tim. 4. v. 8. reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus. Illam verò individualem applicationem aliena fides nequaquam præstat, quotquot enim receperunt Christum illis dedit potestatem filios Dei fieri Job. 1. v. 12.

XX.

6. Qui in ultimo die censorio credentibus salvandis ascribuntur, illi utiq; credunt. At infantes baptizati inq; infantili ætate denati, credentibus salvandis ascribuntur Mar. 16. v. 16. Ergò habent fidem, si enim non haberent fidem, vi loci allegati damnarentur. Cum itaq; totus mundus judicandus in credentes & incredulos dividatur: Infantes autem baptizati salvandi, classi incredulorum & damnandorum accenseri non possint, indubiè relinquitur eos esse credentes. Unde rectè August. Serm. 14. de verbis Apostoli post allegatum hunc textum interrogat pelagium, ubi ponis parvulos baptizatos? profecto in numerum credentium, nam ideò & consuetudine Ecclesiæ antiqua Canonica & fundatissima parvuli baptizati fideles vocantur: inter credentes igitur parvulos baptizatos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse hæreticus. Hæc Augustinus.

XXI.

Tannerus tamen in Colloq. Ratibon. p. 260. 261. contra argumentum hoc excipit dicendo intelligi illa distributione solos adultos non verò infantes, quia judicandi similiter distribuuntur in duas classes quarum una sit pascentium sitientem Christum & ideò salvandorum: altera vero non potantium neq; pascentium esurientem aut sitientem Christum & ideò damnandorum: sicut ergo inquit hic vana est ratiocinatio: judicandi in duas partes distribuuntur. Ergo parvuli, quia non potant Christum sitientem, nec pascunt esurientem damnandi erunt. Hæc Tannerus.

XXII.

Respondendum verò Tannerum cum complicitibus distinctissima confundere, aliud enim est loqui de *evangelica* fidei formali, & aliud



de effectiva. Prior omnibus competit credentibus. Posterior verò non item. Unde cum D. Hunnio loco allegato Tannero & sociis regerimus, magnam utrobique distributionis esse disparitatem, quia *Mar. 16.* toti ordini damnandorum incredulitas attribuitur: toti autem ordini salvandorum fides assignetur, utpote sine qua in iudicio Dei placere Deo impossibile sit. Quod autem dicatur de passione, sive de beneficentia in Christum collata ratione membrorum ejus, quod hæc actio non possit ad omnia & singula individua salvandorum accommodari ne quidem inter adultos, hinc patet: quia pauperes non sunt hi qui pascunt, sed qui pascuntur. Voluit verò nihilominus salvator generalim, licet non singularim demonstrare, quod fides vera & salvifica non sit, sed planè mortua & inanis persuasio fidei in his, qui cum potuerint per facultates & opes benefacere pauperibus, tamen id facere neglexerint. Econtrà verò per præstitam beneficentiam apud eos qui salvantur, fides illorum illustratur & declaratur per effecta, quod non sit mortua sed per dilectionem operans *Gal. 5. v. 6.* Hæc. Hunnius.

XXIII.

7. Quibuscunq; scriptura fidei tribuit effecta in illis præsupponit causam fidem scilicet. At infantibus circumcisis & baptizatis scriptura fidei tribuit effecta. Ergo. Major sua luce radiat. Minorem ordine probamus. Tribuitur infantibus quod 1. Deum laudent *Psal. 8. v. 3.* ubi expressè dicitur quod ex ore parvulorum & sugentium **וְיִשְׁבַּח** Deus sibi fundet laudem. Quod quidem cum *Piscatore* non est intellendum eo modo quo cœli enarrant gloriam Dei *Psal. 19. v. 1.* dum scilicet materiam præbent enarrandi gloriam divinam. Repugnat enim primo appellatio *ori*; ex ore infantium Deus sibi robur fundasse dicitur: ergo non occasionaliter illud exponendum venit. Deinde allegatio Christi *Matt. 21. v. 16.* expositionem *Piscatoris* refutat. Ubi frivolum est ne quid dicam gravius quod excipit *Piscat.* Christum verbis *Psalmi* diversum sensum tribuere, anne ergo allegatio Christi est erronea! quod num à Christianis cogitari, nedum dici aut scribi fas sit credari iudicent. Christus in **ἀρχῆ** disputationis cum Phariseis constitutus factum puerorum sibi acclamantium ex *Psal. 8. v. 3.* defendit. Pone jam *Psalms 8. v. 3.* de ejusmodi facto sermonem non esse, annon Phari-  
sci Chri-

ſci Chriſto ſtatim regerere potuiſſent, factum illud puerorum minus rectè ex loco allegato excuſari : utpote ſi Piſcatori credimus, diverſus Pſalmi eſt ſenſus. Concludimus ergo: Quicquid Chriſtus ex *Pſalmo 3.v.3.* probat, de illo agit Pſalmus. Atqui pueros Deum rectè glorificare Chriſtus ex *Pſalmo 3.v.3.* probat. Ergo de illo agit Pſalmus.

#### XXIV.

2. Deo confidunt *Pſal. 71.v.6.* 3. Chriſtum diligunt *1. Cor. 16. v.22.* 4. à peccatis mudentur *Act. 22. v.16.* ubi non eſt quod quis dicat hæc effecta adultis non infantibus tribui. Si enim infantes Chriſtum non diligunt, nec à peccatis mudentur, dic ſodes quomodo ab anathemate Apoſtolicò in omnes Chriſtum non diligentes vibrato liberabuntur? Et ſi à peccato non purgantur quomodo vitæ æternæ hæredes eſſe poſſent, cum nihil peccato pollutum in civitatem cœleſtem ingreſſurum ſit *Apoc. 21. v.27.* 5. mundum vincant quod non niſi credenti competit. *1. Joh. 5. v.4.5.* 6. Patrem cognoſcant *1. Joh. 2. v.14.* cujus cognitio & Chriſti ſimul notitiam involvit *Joh. 14. v.7.*

#### XXV.

Excipiunt nobis hæc contradicentes nulla in infantibus apparere bona opera & propterea illos non credere. Reſp. Nec in infantibus recens natis ratio ſeſe exerit. Ergone rationales eſſe ea propter negandum? opera quod attinet primæ & ſecundæ tabulæ Decalogi opera diſcernenda. Quamvis infantes ob rationis defectum opera ſecundæ tabulæ in oculos noſtros incurrentia & proximum imprimis concernentia non edant, hinc tamen nullis eos bonis operibus ſtudere inferendum non eſt. Habere eos opera primæ tabulæ ex *Theſ. 23.24.* evidens eſt conf. *Pſal. 22. v.10.* *Pſ. 115. v.13.* *Apoc. 11. v.18.*

#### XXVI.

8. Quicumq; Chriſtum in Baptiſmo induunt, & in mortem ejus Baptizantur, illi utiq; credunt. At infantes Chriſtum in Baptiſmo induunt & in mortem ejus Baptizantur *Gal 3. v.27.* *Rom. 6. v.3.* Ergo utiq; credunt. Si quis ad adultos tantum hæc referat verborum Apoſtoli emphafiſin non ſatis aſſequitur. In utroque enim dicto generaliter loquitur: *ὅσοι ἐβάπτισθησαν, ὅσοι ἐβάντες τὸν θάνατον.* Ergo de omnibus

baptizatis affirmat quod Christum baptismo induerint, inq; mortem illius baptizati sint.

XXVII.

¶ *Ubi* Hypocritas adultos si objeceris Resp. Apostolum generaliter loqui de his qui Spiritui sancto hostiliter non resistunt *Act. 7. v. 51.* nec illum peccatis contra conscientiam contristant *Eph. 4. v. 30.* de illis omnibus ait eos Christum induisse & in mortem ejus baptizatos esse. Quod autem Christum induere idem quod credere notet ipse *Piscat. in cap. 22. Matth. pag. 226.* non difficitur quando inquit: *vestis nuptialis est sanctitas sacrificii Christi per fidem imputata.* Hac veste quicumque non fuerint induci à nuptiis ejicientur in tenebras. *Conf. Esaj. 61. v. 10. Apoc. 3. v. 18. cap. 16. v. 15.* Et *Bellarmin. lib. 1. de Sacram. Baptis. cap. 9.* inquit: hoc ipso quod aliquis renascitur ex Christo per Baptismum communicatur ei Christi justitia & ita Christum induit. In mortem Christi baptizari est interprete Piscatore vim mortis Christi percipere non solum quod ad meritum, quo remittuntur nobis peccata, sed etiam quod ad efficaciam Spiritus S. naturam reformantis.

XXVIII.

9. Ubi sunt omnes causæ fidei, nec à parte hominum datur obstaculum ibi fidem poni necessum est. Posita enim causa sufficiente in actu nec impedita sequitur effectus. At in infantibus baptizatis sunt omnes causæ fidei utpote Spiritus S. cujus arcanâ operatione ipse Calvinus concedit *Lib. 4. Inst. cap. 16 § 20.* semen fidei in illis latere, & sacramentum Baptismi. Si ergò Spiritus sanctus semen fidei in infantibus per Baptismum operatur, quid obstat cur non ipsam fidem formare possit?

XXIX.

Si cum *Musculo dixerit pag. 304.* recens natos infantes fidei non esse capaces. Resp. peti principium. Quamvis enim ratione non utantur, hinc tamen fide eos carere non inferitur, ratio enim nostra non est principium fidem constituens sed potius, ex accidenti tamen, impediens. *Matth. 16. v. 17.* Sapientibus enim hujus mundi, id est rationem suam ad obediendum Christo non captivantibus mysteria fidei pro-

propria culpa sunt abscondita *Matth. 11. v. 25. 1. Corith. 1. v. 19. 21. 22. &   
 Φενηματῶν ἡσ ἀπὸ τοῦ ἔχθρα εἰς θεὸν Rom. 8. v. 7.*

XX X. Et si ex rationis usu fides esset aestimanda quid de dormienti-  
bus, phreneticis, agnionizantibus in quibus usus rationis deficit statuendū  
esset. Johannes in utero materno adhuc delitescens Spir. S. repletus  
& prae gaudio exultasse dicitur *Luc. 1. v. 15. 44.* licet ratione nondum u-  
teretur, verè ergo dicimus cum *Dn. D. Gerharo de Baptism. pag. 1126.*  
melior erit hac in parte conditio infantum, quam adultorum, ratio e-  
nim quando usu suo sese exerit & suis λογισμοῖς indulget impedit po-  
tius fidem, quam ut illam promoveat. Ipse *Bellarmin. cap. 9.* Anabapti-  
stis responderet: Licet infantes careant rationis usu, non tamen carent  
anima rationali ejusque potentiis in quibus Deus per gratiam habitare  
potest.

XX X I.

10. Foedus gratiae inter Deum & homines non inicit sine fide.  
Baptismus est fœdus gratiae. Est enim ἐπισημασμένη εἰς θεὸν *1. Pet. 3. v. 21.*  
cum Deus interrogando sibi stipulatur ac obligat nos, nostramque fidem  
& obedientiam, tum vicissim nos nobis stipulando per fidem obliga-  
mus ejus paternum favorem ac gratiam, ut loquitur *Flacius in Clav. p. 69.*  
Major certissima est. Quemadmodum enim gratia Dei nobis non  
obtingit sine fide gratiam illam sibi applicante. Ita nec foedus gratiae  
absque fide pangi potest. *Conf. Rom. 4. v. 16.*

XX X II. Haecenus praecipua sententiae nostrae pro fide infantum  
baptizatorum argumenta, pro instituti ratione breviter sunt adducta,  
quibus secus sentientes nonnullas opponunt rationes, illae cujus sint ro-  
boris paucis dispiciemus. 1. Infantes ad verbum unde nascitur fides au-  
diendum idonei non sunt. Ergo non habent fidem ita colligit *Piscar.*  
*vol. 1. disp. Loc. 12. th. 32.* Quem ad Calvinum suum *Lib. 4. Inst. c. 16. § 19.*  
amando, qui argumento hoc anabaptistico ita respondet: verum non a-  
nimadvertunt (Anabaptistae) Apostolum, quum auditum fidei princi-  
pium facit ordinariam tantum Domini oeconomicam & dispensatio-  
nem, quam tenere in vocandis suis solet describere: non autem perpe-  
tuam ei regulam praestituere ne alia uti ratione possit. Quomodo cer-  
te in multorum vocatione usus est: quos interiore modo Spiritus illu-  
minatione, nulla intercedente praedicatione, vera sui cognitione, dona-  
vit. Hæc *Calv.*

B ;

Nos

XXXIII. Nos ergò distinguimus verbum audibile & visibile. Non enim tantum ex verbo audibili fides est *Rom. 10. v. 17.* sed & visibili. Sacramenta enim sunt efficacia media, quibus Spir. S. fidem & salutem largitur *Luc. 3. v. 3. Job. 3. v. 5. Act. 2. v. 38. Eph. 5. v. 26. Gal. 3. v. 27.* Non itaq; invicem opponenda verbum & sacramenta: quemadmodum enim in adultis Spir. S. fidem per auditum verbi operatur *Act. 10. v. 44. cap. 17. v. 34.* & passim. Ita infantibus sacramento Baptismi fidem donat. Si namq; circumcisio V. Test. medium fuit recipiendi infantes in Dei fœdus *Gen. 17. v. 7. & seqq.* cur non idem Baptismus circumcisioni succedens *Col. 2. v. 11.* præstaret.

XXXIV. 2. Experientia hoc ipsum confirmat infantes scilicet fide præditos non esse. Quis enim in ullo unquam infante indicia fidei animadvertit, aut in seipso infante animadvertisse meminit. Ita colligit *Piscat. loco supra citato & Tannerus in Colloq. Ratibon. p. 261.* Respon. I. in dormientibus, gravi cum morbo consistantibus, & ipsis quandoq; agonizantibus nulla nonnunquam fidei animadvertuntur indicia, de quibus tamen fidem negare non semper licet. 2. falsum est & experientia contrarium nulla esse fidei in parvulis indicia, vide quæ supra *Thef. 23. 24* dicta sunt. Cui addi possunt exempla illorum qui trimuli aut quadrimuli mundo huic valedixerunt, & tantis fidei indicis paulò ante beatam emigrationem hinc abierunt, ut adstantibus fuerint admirationi.

XXXV. Quod attinet neminem in seipso infante adhuc fidei meminisse quod urget Beza. Respon. multorum in infantia actorum negotiorum non recordamur, anne hinc colligere licet, talia non esse acta? Qui sunt obliviosi aut rerum gerendarum obruantur multitudine multa obliviscuntur, quæ tamen verè gesta sunt, De Johanne non legimus quod unquam meminerit se in utero matris ad huc latitantem Christum agnovisse illud tamen factum esse Lucas affirmat *Cap. 1. v. 44.* Et exemplum hoc adeò evidens est ut cum *D. Hunnio ex Colloq. Ratib. p. 262.* dicere liceat: potenter evincitur exemplo producto Johannis Baptistæ, qui in utero novit ipsum individuum, id est Christum in utero matris adhuc existentem. Deinde verò cum adoleverat, tamen individuum personam haud perinde sibi amplius notam fuisse testatur apud *Johannem Evangelistam cap. 1. v. 33.*

Quis

XXXVI. Quis unquam infans se in peccato originali natum esse recordatur, numne propterea cum Pelagio peccatum hoc negare licet & quis infantum se ubera matris suxisse meminit? ut multa alia taceam quæ ipsis quoque, accidunt adultis quorum non semper habent memoriam & scientiam. Quot rusticorum & idiotarum sunt, quot sensus habeant ignorantes, ergone illos propterea non habent?

XXXVII. 3. Si fides in Baptismo confertur infantibus, tum excitaret fidem & fide simul apprehenderetur, quæ duo tamen *Beza* iudice pugnant. Respon. Scriptura sacra prævia hæc sese mutuo non perimunt: aliquid posse fidem excitare, & postmodum fidem beneficia posse apprehendere. Sic Spir. S. est causa & dator fidei: & tamen per fidem promissionem Spiritus accipimus teste Apostolo ad *Gal. 3. v. 14.* In adultis fides est ex auditu verbi diuini *Rom. 10. v. 17.* Fides tamen beneficia verbo Dei oblata apprehendit, sine fide enim audite verbum Dei non prodest. *Heb. 4. v. 2.* Deus ergo baptismo ordinario in infantibus regenerationis medio fidem seu fiduciam in Christum confert. Fides verò collata non est otiosa sed maximè negotiosa approprians videlicet sibi beneficia baptismo oblata. Diverso itaque respectu utrumque verum est, ut ex hæcenus dictis liquet.

XXXVIII. Confirmata ergò Thesi nostra, infantes baptizatos verè credere, considerandum secundo venit, quomodo credant? Hic verò non id intendimus, quasi modum quo Spiritus S. in Baptismo fidem operetur, accuratè indagare velimus: sufficit enim scire *τὸ ἔν*, licet *διὸν* ignoremus. Interim tamen ob Bellarminum fidem actualem infantibus denegantem, & fidei otiosum habitum, tum & alienam fidem ipsis assignantem, sententia nostra breviter exponenda & contraria refellenda venit.

XXXIX. Thesis ergò nostra hæc est: infantes baptizatos sicuti verè specialiter Deo placent, adeo ut illis Christus benedixerit & illorum regnum cælorum esse affirmarit vide *Thef. 12. 16.* habere veram actualem & salvificam fidem propriam, conf. *Thef. 19* Si enim salvari debent veram Christi notitiam spiritualem habeant necessū est *Joh. 17. v. 3.* Accedit quod Apostolo teste sit una fides *Eph. 4. v. 5.* Quicumque ergo credit ut salvari queat unam illam actualem veram & salvificam fidem habere debet. U t

X L. Ut vero assertio hæc eò distinctius intelligatur, fidei discernenda sunt accidentia, ab ipsa essentia. Priori respectu dicimus cum *Dn. D. Affelm. disp. de Fide Infantum th. 33.* discrimen aliquod agnoscimus inter fidem infantum & adultorum quoad actus tum antecedentes tum consequentes Adultiores enim 1. explicitam sive specialem ac distinctam magisq; evolutam articulorum religionis cognitionem habent, quam 2. concipiunt ex verbi prædicati auditu, lectione, meditatione, ruminacione, apprehensione. 3. Sciunt se credere. 4. operibus in oculos incurrentibus & officiis, charitatis publicè quales sint testantur. 5. cum dubitatione diffidentia & trepidatione lætantur. Hæc Affelman.

X L I. Modum quo sit possibile, fidem salvificam & actualem (non respectu operum externorum sed internorum) infantes habere, si quis scrupulosè inquirat, illi considerandum relinquimus qua ratione creaturæ etiam irrationales ingemiscant suiq; liberationem exoptent *Rom. 8. v. 22.* Item: quomodo terra luceat *Jer. 12. v. 4.* &c. Licet ergo in ejusmodi & similibus rebus ratio nostra modum invenire nequeat; absit tamen ut rem ipsam clarissimis scripturæ verbis propositam propterea negemus. Expendamus potius Deum ultra id quod cogitamus facere posse *Eph. 3. v. 20.*

X L II. Argumenta Bellarm. distinctione *Thef. 40.* proposita maximam partem resolvi possunt. Pleniorum autem illorum *ενάλυσιν* ipsi discursui Publico reservabimus, Deo interim ex imò pectore gratias agentes, quod & tenellis infandibus salutem per Christum acquiritam baptismi sacramento offerat ac conferat. Et quoniam non est voluntas patris unum de pusillis perire *Matth. 18. v. 14.* eundem rogamus devotè ut quod cœpit in illis opus bonum ad diem Jesu Christi perficiat *Phil. 1. v. 6.*



Soli Deo Gloria;







XXXVI. Quis unquam infans se in peccato originali natu-  
cordatur, numne propterea cum Pelagio peccatum hoc ne-  
quis infantum se ubera matris suxisse meminit? ut multa a-  
quæ ipsi quoque, accidunt adultis quorum non semper habent  
am & scientiam. Quot rusticorum & idiotarum sunt, qui  
habeant ignorantes, ergone illos propterea non habent?

XXXVII. 3. Si fides in Baptismo confertur infantibus,  
taret fidem & fide simul apprehenderetur, quæ duo tamen  
ce pugnant. Respon. Scriptura sacra prævia hæc sese mutu-  
timunt: aliquid posse fidem excitare, & postmodum fidem  
posse apprehendere. Sic Spir. S. est causa & dator fidei: &  
fidem promissionem Spiritus accipimus teste Apostolo ad G.  
In adultis fides est ex auditu verbi diuini Rom. 10. v. 17. Fi-  
beneficia verbo Dei oblata apprehendit, sine fide enim audi-  
Dei non prodest. Heb. 4. v. 2. Deus ergo baptismo ordinari-  
tibus regenerationis medio fidem seu fiduciam in Christu  
Fides verò collata non est otiosa sed maximè negotiosa a-  
videlicet sibi beneficia baptismo oblata. Diverso itaq; respe-  
que verum est, ut ex hæcenus dictis liquet.

XXXVIII. Confirmata ergò Thesi nostra, infantes bap-  
credere, considerandum secundò venit, quomodo credant  
non id intendimus, quasi modum quo Spiritus S. in Baptism  
operetur, accuratè indagare velimus: sufficit enim scire tò  
ignoremus. Interim tamen ob Bellarminum fidem actuali-  
bus denegantem, & fidei otiosum habitum, tum & aliena-  
pfi assignantem, sententia nostra breviter exponenda & c-  
fellenda venit.

XXXIX. Thesis ergò nostra hæc est: infantes bap-  
verè specialiter Deo placent, adeo ut illis Christus benedix-  
rum regnum cælorum esse affirmarit vide *Thes. 12 16*. habe-  
ctualem & saluificam fidem propriam, conf. *Thes. 19* Si enim  
bent veram Christi notitiam spiritualem habeant necessu e-  
Accedit quod Apostolo teste sit una fides *Eph 4 v. 5*. Qu-  
credit ut saluari queat unam illam actualem veram & salu-  
habere debet.

